

ptos, Venetias venit: & ut constans fama erat, nulla alia causa adductus, nisi ut urbem quam mediis aquis audiverat fundatam, inspiceret. Princeps cum multis patricii ordinis illum venientem Bucentauro honorificentissime excepit, deduxitque in Cornarias ædes ad Lucæ fanum, publico nomine ob id ipsum instructas. Visa itaque per ocium urbe, post non multos dies inter publica & privata officia in Germaniam abiit. Hyberno ejus anni tempore Cyprius Rex Venetias cum tribus longis navibus regioque comitatu applicuit: qui & ipse publice acceptus, atque in idem, quo paucis ante mensibus Dux Austriæ, hospitium adductus, Andreolum Joannis cognominis, Taurisii Prætozem designatum, in Aurea æde equestri dignitate donavit. Mox Galliam versus profecturum Celsus Princeps cum bona parte Patrum Margariam usque est secutus.

*ut & Rex
Cypri.*

Septembri mense, qui annum illum duorum illustrium Principum hospitio insignem secutus est, ingens defectio in Creta, Venetis colonis auctoribus orta, pene totam insulam ab imperio alienavit. Ob immensa bellorum onera decreverant Patres tributum Cretensibus imperare: ad cuius rei mentionem continuo nobilium animi, præterquam paucorum, ad defectionem conversi, Leonardo Dandolo Duce cum legatis in suam potestatem redacto, onerarias naves, quæ sub vindemiarum tempus eo appulerant, repente cum ipsis negociatoribus intercipiunt. Marcum Gradonicum cognomento Bajardum, virum alioquin haud insipientem, tumultuoso suffragio Ducem creant. Dominicus Michael, qui tum sinui præerat, audita Cretensium defectione, rem Principi & Patribus, navi una longa ad hoc celeriter missa, significat. Clarissimæ insulæ alienatio ingentem civitati tristitiam attulit. Accedebat ad eam cladem ingens indignatio atque ira, quæ ut magna, ita iusta videri potuit. Constans fama erat, defectionis auctores Patricios fuisse, ac Veneto sanguine ortos. Quid Græci, quid cæteri insulani facerent, qui non modo non Venetiis nati, sed ne oriundi quidem essent? Ituros eos, & incendium illud studio adjuturos, alienique

*Nobiles
Cretenses
deficiunt.*